



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXVIII. De ingratitude illorum, qui vix, vel parùm
recogitant de summo Benefactore suo crucifixo Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

chra, mirantibus omnibus asportavit, lætâ voce decantans: *Exultabunt Sancti in gloria*, cui cæteri SS. Martyres illic sepulti responderunt: *Lætantur in subilibus suis*. Passus est anno Christi 306.

9. Quid dico de S. Concordio Presbytero Romæ nato, & Spo-
leti in persecutione Christianorum tempore Antonini Imperatoris se
ipsum Crucifixo Domino suo in victimam offerente? Cùm à iudice ^{Martyrol. Canis, & Nodaf. 1. Jan.}
Torquato interrogaretur: Quis esset, & quo appellaretur nomine?
Liberè respondit: *Christianus sum*, & cùm rursus rogaretur de nomine, ^{Passus est anno Domini 67.}
nil aliud respondit: *Christianus sum*. Parantur fustes, cæditur immaniter, suspenditur in cruce & equuleo, & quid ille? *Gloria tibi Domine Jesu Christe*: demittitur de fatali ligno, raptatur de novo in carcerem, ubilætus decantavit: *Gloria in excelsis Deo*; Proponitur illi simulacrum Jovis, ut eidem sacrificet, sed in illum expuit, audiens interim hanc dulcissimam de cœlo vocem: *Noli timere, sed viriliter age, quia ego tecum sum*. Sic amputato capite ad pretiosam martyrii coronam, & ad Christum crucifixum, nunc in cœlo regnantem, gloriosus migravit: Discite gratitudinem, discite amorem in crucifixum Jesum: si verus servus & miles Christi es, non sentis tua vulnera, si Ducis tui intueris plagas. Quid ergo retribues pro omnibus beneficiis ejus? Quid retribues Domino?



CONSIDERATIO CXXXVIII.

De ingratitude illorum, qui vix, vel parum recogitant de summo Benefactore suo Crucifixo Jesu.

Hæcne reddis Domino popule stulte & insipiens? Numquid non est ipse pater tuus, qui possedit te, & creavit te? Deut. 32. 9.

1.

Isaïas Prophetarum princeps, ubi summam mortalium ingratitude erga summum benefactorem suum Jesum & hunc crucifixum statim in principio vaticinii sui in spiritu prævidit, atque expendit, indignatus tanto sceleri, cœlos & terram provocavit, ut

Isa. 1. 2.

ut verbum Dei audirent, ac tantæ ingratiudinis monstrum vel maximè detestarentur: *Audite: inquit, cali, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* Et quid, obsecro, Dominus universorum locutus est, ut tantam Prophetæ efflagitaret à cœlo & terra audientiam?

Deut. 32. 9.

Audite, & obstupescite: Filios enutrivit, & exaltavit, ipsi autem spreverunt me: Hæc erat pro maximis illis monstratis beneficiis merces mea, contemptus, blasphemia, & mille scelerum plaustra: Ego creavi eos in hunc finem, ut salvi fierent, redemi eos in sanguine meo, ut à diaboli jugo & inferno liberarentur, manna cœlesti pavi eos, imò propriâ carne & sanguine, millena alia adjeci beneficia: *Ipsi autem spreverunt me.* O enorme ingratiudinis vitium, ac portentum! *Hæc invidis Domino popule stultæ & insipientis?*

Matth. 26. 39.

2. Venit ad Olivarium montem pientissimus JESUS, & calicem passionis, quem paravit illi Pater, paratum invenit. Abhorrebat quidem humana Christi natura à tam amaro calice: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste,* sed mox generosè in Patris se resolvit voluntatem: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quæres hic, cur Christus hic secundum carnem horrebat mortem crucis, & optabat transire, hoc est, averti à se?

Man. 5. 8.

R. Cornelius: Videbat Christus multos ingratos fore suæ passioni, mansuros in peccatis, ac damnandos, hic erat ei summus dolor. *O ingratiudo, exclamat S. Augustinus, tu es radix totius mali spiritualis & ventus desiccans, & urens omne bonum, obstruens fontem dominicæ misericordiæ &c.* O ingrati quid agitis?

Gen. 40. 14.

3. O quot sunt de facto tepidorum Christianorum, qui strenuè ingratum illum imitantur pincernam, cui Joseph per biennium in carcere multa bona præstitit, & libertatem prælagit, hoc unicum rogans: *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, sed comes accepti beneficii erat oblivio.* O quot sunt tales!

Hebr. 12. 3.

En clamat ad te de cruce patiens & moriens JESUS, benefactor omnium maximus: *Tantum memento mei: Recogita eum, qui eadem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem,* qualis ab origine mundi audita non est, nec ullis unquam Verbis exprimi poterit; & tu homo ingratus! hæc surdâ pertransis aure? Ergo adhuc verificatur illud Regii Vatis: *Posuerunt adversum me mala pro bonis,* odium pro dilectione, malitiam pro bonitate? Juvat hic audire S. Antoninum, ita in persona Christi discurrentem: *Vide homo quæ patior: ad te clamo, qui pro te morior. Vide plagas, quibus afficio; vide clavos, quibus confodio, & cum sit tantus dolor exterior & interior, plus tamen crucior, quòd te ingratum experior.* O vitium abominandum!

Psal. 68. 5.

S. Antonin.

2. p. sum. tit.

3. c. 9. §. 3.

4. Valde quondam mirabatur Præses Romanus Pilatus, quòd mi-
tissimus Dominus JESUS ad tot, tantòsque insultus, opprobria & accu-
sationes injustissimas Judæorum nihil in contrarium reponeret, neque
se in aliquo excusaret, aut defenderet; unde ad Christum tot malignis
reproborum linguis accusatum dixit: *Non audis quanta adversum te di-* Matth. 27. 14.
sunt testimonia? Et observat Scriptura: *Non respondit ei verbum, ita ut mi-*
raretur Præses vehementer. O pientissime JESU! Cur nihil dabas responsi?
JESUS autem tacebat; Credo & firmiter mihi persuadeo, quia tuam no-
luisti impedire passionem ac crucem, ex qua dependebat omnium
mortalium vita & salus. Sed ignosce Domine! aliter coram Caïpha
locutus es; cum enim unns assistens ministrorum gravissimam tibi
impegit alapam, dicens: *Sic respondes Pontifici?* Respondisti illi: *Simalè* Jo. 18. 22.
locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cadis? In no-
vam hic raptor admirationem, quare hic solùm amantissimus Redem-
ptor noster contra injustissimum percussorem os suum aperire volue-
rit, de quo Evangelicus Propheta vaticinatus: *Oblatus est quia ipse vo-* Isa. 53. 7.
luit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus co-
ram tondente se obmutescet?

R. S. Chrysoſtomus, quòd ingratiſſimus ille homuncio & Chri-
ſti percussor fuerit ille Malchus, cui priùs Dominus in horto præcisam
restituit auriculam, de quo S. Joannes: *Erat autem nomen servo Malchus,* Jo. 18. 10.
unde pergit os aureum: *Servi nomen meminit Evangelista, quoniam magna* Chrysoſt.
vis erat, non tantum quòd eum curaverit, sed & quòd paulò post esset ab eo alapam hom. 83. in
accepturus. O ingrati & immemores passionis Domini! ò Christiani! Matth.
non Christiani, sed deicidæ, quid unquam mali vobis fecit Dominus
JESUS, ut illum crucifigeretis? Ergo nondum est finis tantæ vestræ in-
gratitudinis?

5. Et quid dico? Si mente attentiore vestram ac meam perpendo
ingratitude, video quòd sit ingratitude nostra manus illa ferrea &
armata, quæ non unam, sed plures Christo JESU Crucifixo dedit ala-
pas; quoties enim peccamus lethaliter, toties colaphizamus benignif-
simum Dominum nostrum; plus ait S. Paulus: *Crucifigimus.* Hic ad-
impletur illud Jobi: *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra Omni-* Job. 15. 25.
potentem roboratus est. Et tu hoc ò Christiane?

Quid ulterius est ingratitude nostra? R. Lancea crudelis & Sau-
lis Regis & Longini militis. Multa quondam fecit bona David uni-
verso Israël, dum Philistæum superavit, pacem recuperavit, dæmo-
nem à Saule fugavit &c. Et quid ingratus ille Saul huic summo bene-
factori suo? *Tenebatque Saul lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset* 1. Reg. 18. 10.
David cum pariete. En hic typum tuæ ingratitude! Quis tibi plura
Githier Unus pro omnibus. U u u bona

522 Consideratio CXXXVIII. De ingratitude erga crucifixum.

bona præstitit quam Iesus & hic crucifixus? Et tu de novo crudeli lanceâ ingratitude tuâ divinissimum ejus trans verberas cor?

Gen. 38. 33.

S Bernh. ser.
de Pass. Dom.

6. Ad Jacobum Patriarcham miserunt quondam perfidi fratres Joseph tunicam polymitam ejus, scedè dilaceratam, & in sanguine hodi intinctam, hanc ubi vidit pater, præ animi dolore exclamavit: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Hæc fera pessima ingratitude Judæorum & nostra fuit; tunica autem Joseph, ait S. Bernhardus, humanitatem Christi præsignavit, & quàm scedè in cruce dilacerata fuit! unde ad Patrem coelestem Mellissius ille conversus dixit: *Respice Domine Sancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelsis celorum habitaculo: Cognosce veram tunicam Filii tui Joseph: hæc fera pessima devoravit eum, & concitavit in furore suo vestimentum ejus, omnem decorem ejus reliquit cruoris inquinavit; & ecce quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit; hoc est Domine vestimentum, quod in manu Ægyptia meretricis innocens puer tuus dereliquit &c.* O fera pessima ingratitude?

Math. 27. 46.

7. Quæres hic, quare Christus Dominus in cruce per modum querelæ ad Patrem dixerit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ah! fierine potuit, ut Dominus justus noster à sapientissimo & charissimo Patre in supremo illo agone & pœnarum abyssu aded derelingeretur?

Psal. 21. 15.
Isa. 57. 1.

Inter alias rationes etiam hanc assignant Sacri Interpretes, quia moriens Iesus tunc circa horam nonam, ubi hæc verba dixit, prævidit omnem passionem suam quam plurimis ingratis peccatoribus nihil profuturam; unde prius per os Davidis prædixit: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, hoc est: inutiliter. Sic nimirum Iesus perit, & non est qui recogitet corde.*

Cæsarius lib.
10. Illustr. Mi-
racul. c. 20.

8. Refert Cæsarius, quod inter Ottonem & Philippum quondam gravissimæ discordiæ in Germania fuerint exortæ, & exinde bellum cruentissimum. Milites Ottonis cum pervenissent in Wirzenburg, eamque civitatem diriperent, unus eorum in Ecclesia in loco eminenti piæ Crucifixi imaginem conspicatus est, quam lanceâ sua diversis in locis pupugit; & ecce ex singulis punctonibus ubertim sanguis emanavit, quæ devotissima & antiquissima statua adhuc hodie illic locorum religiosè colitur. Et quid aliud adhuc hodie faciunt mali & ingrati Christiani? Semel Christus in cruce lanceatus est in terris, sed nunc quotidie sedens ad dexteram Patris in cœlis, unde rectè per Prophetam conqueritur: *Quia vos configitis me &c.*

Malach. 3. 8.